

DISPUTATIO JURIDICA

113.

De

1646, 3.

BENEFICIO IN-
VENTARII

Desp. XX

QVOD HEREDI,

Quam

Divinâ favente gratiâ,

PRÆSIDE

Viro Amplissimo, Consultissimo & Excellentissimo,

DN. JOHANNES REBHAN, U. J. D.

& INST. Juris Imp. PROFESS. P.

Domino ac Praeceptore meo venerando,

Publico Examini

subjicio

ANDREAS CHRISTIANUS *Schmida*

cognom. Winter/Breth: Franc.

Addiem 1. Julij

In Auditorio maiori.

ARGENTORATI

Imprimebat FRIDERICUS SPOOR.

M. DC. XLVI.

VIRIS

*Magnifico, Nobilissimis, Consultissimis, Experientissimis
& Amplissimis,*

DN. JOH- JACOBO DRACONI, Jcto,
Com. Palat. Cæs. nec non Illustrissimi ac Celsissimi
Ducis Sax- FRIDERICI WILHELMI Consiliario intimo, &
Cancellario Dicasterij Coburgiati gravissimo.

DN. ANDR: PETRO Wolffrum/ Jcto, eius-
demque Ducis Consiliario, ac Consistorij ibidem
Assessori honoratissimo.

DN. JOH- FRIDERICO Weiß/ Med. Doct.
celeberrimo. & Practico felicissimo.

DN. JOH. CHRISTIANO Umling/ J. U. D.
Scabinatusq; Saxo-Coburgiati Assessori præclarissimo.

DN. JOH- PHILIPPO Umling/ Præfecturæ
Saxo-Coburgiæ Quæstori exquisitissimo ac meritissimo.

DN. BALTHASARO Wablern/ cognom.
Sunder/ Quæsturæ Staffelsteinensis, quæ Episcopatus Bamber-
gensis, Præfecto maximè industrio & dignissimo.

DN. JOH- DAVIDI Nölling/ Generosæ &
Nobilissimæ Franconia Equitum familiae à Siechtenstein/
Quæstori fidelissimo.

Mœcenatibus, Patronis, Promotoribus, Cognatis
& Fautoribus meis, venerandis & omni honoris
cultu prosequendis,

*Has studij Iuridici primitias
Implorandi patrocinij,
Impetranda benevolentia,
Testanda observantia
causâ*

*Devotissimâ mente manuq;
Dedico & offero*

A. & R.



DEO TRIUNO:
AUCTORE ET LARGITORE

De
BENEFICIO INVENTARII
QUOD HEREDI.

Inventarij beneficij, quod Here-
di, inventum, ipsius Justiniani Imp. sacratissimi
elo gio, nobilissimum & æquissimum §. *Extraneis*
§. *I. de hered. qual. & diff. penitus rimari & an illud*
invenire mihi liceat, impræsentiarum pro in-
genij mei tenuitate disquirere, operæpretium
dixi. Licet enim illud, percelebris ista *l. ult. C. de jur. delib.* nobis lu-
culenter exhibeat, usûsque eius quotidianus. *Francisc. Porcell. tract. de*
inventar. q. 1. n. 1. & frequens sit. *Rolandus à Valle in tract. de Inventar.*
q. 1. C. I. A. 29. ff. 2. thes. 30. Non tamen hic Juris articulus aded, ut
forsan cuiquam primo intuitu videri possit, expeditus est, qui statim
communibus præceptis comprehendere & tradi queat. Imprimis post-
quam etiam moribus & legibus municipalibus, quæ pro varietate
tot locorum subinde variant, aliisque doctorum, imò etiam Tabel-
lionum traditionibus & commentis, vires, tantæque incrementa
sumpsit, & per ea quasi luxurians, ita scrupulosus (*verba sunt Baldi*
4. consil. 145. in princ.) effectus est, ut rari sint, qui certâ methodo eum
pertractare ausi; frequentes verò, qui dubij & ancipites hîc hæserunt.
heredes quoque, etiam magis industrij & qui sibi quàm optimè ca-
vere voluere, ex ignoracione hîc offenderunt, atque decepti sunt.
Dum igitur hoc tentamen tento, & potissima huius articuli juris ca-
pita in certos certorum membrorum paragraphos redigere aggre-
dior, spero, bonos conatui meo favituros, Deum verò Ter Opt. Max.
quod devotis suspiriis obsecror, ut labor hic feliciter succedat, cle-
menter facturum.

A 2 Mem-

Membrum I.

*Continens Inventarij ὀνομασολογίαν, sive generalia
de Inventarij definitione & divisione.*

Repetiturus autem Inventarij inventum à suis principiis, id com-
modiùs fieri posse arbitror, si ad morem (qui nostra etiam est in-
stitutio) veterum Jurisconsu-
torum in l. i. ff. de l. & l. i. §. i. ff. de pact.
l. i. ff. de acq. poss. l. i. ff. de furt. & passim alibi in jure, illud prius in ὀνομα-
τολογία, & deinde in πραγματολογία lustrem. Quamvis enim in
omni tractatione legitimè instituta, potior rerum quàm verborum
ratio haberi debeat. Gædd. ad rubr. tit. ff. de V. S. in princ. quia tamen
illam vix quispiam, sine prævia nominis excussione percipere pote-
rit. Aristot. 1. poster. 1. meritò ab hac parte & vocabuli disquisitione
fit auspici-um. Scalig. Exerc. 359. sect. 1.

§. 2. Sunt autem in ὀνομασολογία seu generali nominis inven-
tarij tractatione duo hæc enodanda. 1. Vocabuli divisio, ut Ho-
monymia explicetur. 2. Eiusdemque definitio.

§. 3. Divisionem quod attinet, & hinc dimanans Homo-
nymia, sciendum, quod, hoc vocabulum, inventarium, sit ex
genere eorum quæ πρὸς τι, ad aliquid referuntur, & ex eo denomi-
nantur. Si quidem pro qualitate personarum bona alicuius ad se re-
cipientium Inventaria varia sunt & variè fiunt. Alia enim sunt, quæ
conficiunt heredes in bonis defuncti l. fin. C. de jur. delib. alia quæ
creditores, in bonis debitorum. l. cum plures. 15. ff. de reb. auth. judic.
possid. Usufructuarij. l. i. §. 4. ff. usufruct. quemadm. cav. Uxores in bo-
nis dotalibus. Novell. Leon. 110. Sic inventaria dicuntur confici à Ca-
stellanis. Videatur Ant. Sola. in comm. ad constit. Sabaud. tit. de Mino-
rib. p. 1. gloss. un. num. 1. Officialibus l. si quis. 7. C. de bonor. proscript.
à Tutoribus & Curatoribus in bonis pupillorum & minorennium.
l. 7. ff. l. 24. C. de admin. tut. & curat. l. 13. §. 1. C. arbit. tut. denique ab
aliis, qui ad reddendas administrationis rationes, (quarum exinde ca-
put inventarium dicitur. Bald. ad d. l. fin. §. 2. C. de jur. delib. Boer. de-
cis. 61. Ant. Sola. d. l. num. 7. Altorph. Jcti respons. 64. p. 418.) expressè
sunt obligati. Videatur P. Grego. 3. Syntagm. Iur. Univerf. 46. cap. 3. n. 4.
& seqq. Ant. Sola. d. l. Gothofr. ad d. l. fin. §. 2. lit. f. C. de jur. delib. &
Giphan. ibid. Rittershus. p. 6. Novell. 8. num. 1. & 46. C. I. A. d. l. thes. 35.
Verùm uti omnium horum & aliorum, qui inventaria conficere di-
cuntur

cuntur, non eadem est ratio & conditio. *Rittershus. d. l. num. 2.* Ita nec inventariorum ipsorum eadem est forma & idem effectus. quæ plerunque ob id à subjecto vel objecto adjecto vel subintellecto tantum, à se invicem distinguuntur, pleraque etiam *velaχsensinōs* talia dicuntur. Unde si vulgus Dd. & Notariorum Inventaria dividant, quod vel sint solemnia & publica, vel privata & simplicia, utraque insuper in plena vel non plena, videatur *P. Gregor. d. 3. syntagm. Iur. univ. 46. c. 3. n. 2. Hillig. 7. D. E. 3. lit. e.* puto id ex eadem termino hoc abutendi licentiâ fieri & potius esse termini in sua determinata, quàm generis in species veram divisionem.

§. 4. Sanè cum hoc loco tantum de inventario heredis vel rerum hereditariarum, ab herede conficiendo, tractaturus sim, idq; unum sit sive subjectum, sive objectum, sive forma extrinseca spectetur, nisi quis, postquam variis hinc illic statutis & moribus circa formam extrinsecam subinde variatum est, illud in commune sive Justinianum & statutarium dividere velit; operæ pretium non est his diutius immorari. cum hæc differentia infra sæpius notanda occurreret, sufficiat hinc hæc quasi per saturationem notasse.

§. 5. Definitio Inventarij, alia est nominis, alia rei. Nominis consistit 1. in Etymologia, & eius originem explicat. 2. in Synonymia, quæ æquipollentia notat.

§. 6. Etymologia est, quod inventarium dicatur ab invenire. Circa cuius originationis rationem indagandam, animadverto Dd. esse sollicitos. quorum quidam ideò sic dictum volunt, quòd hoc modo & mediante Inventario res tales hereditariæ, ab herede quasi per modum quendam apprehensionis, tangantur & adquirantur. *argum. l. 14. C. de fideicommiss. §. 18. Inst. de. R. D. Connan. comm. num. 4.* Alij verò ab eo quod omnes res hereditarias descriptas, in eo invenire & tanquam ex indice, quot, quantæ, quales & ubi sint, scire liceat. *l. fin. C. de bon. vacant. lib. 10. Harprecht. ad clar. §. testamentum. quest. 66. n. 1. C. I. A. 29. ff. 2. th. 31.* Alia denique dictum putant Inventarium, quod omnia in hereditate defuncti, prævia decenti inquisitione inventa & reperta, ne quid ex iis supprimatur & pereat, eo inscribantur. *l. fin. C. arbitr. tut. l. si quis. 7. C. de bon. prescript. Novell. 115. c. 3. §. 13. c. caritatem. 12. quest. 2. Roland. à Vall. tract. de Invent. quest. 10. Ant. Perez. 6. cap. 3. n. 9. p. mihi 426.* quam ultimam denominationis rationem, propius cæteris ad veritatem accedere puto.

A 3

§. 7. Im,

§. 7. Imprimis, cum secundum quorundam Dd. sententiam Latinius dicatur, Repertorium, (ut etiam Synonymiam evolva-
 mus) quâ voce utitur Ulpianus *Jctus in l. tutor 7. ff. de administ. tut. ibi: tutor. ibi: Tutor qui repertorium, quod vulgò inventarium vocatur, non fecit.* Ubi gloss. lit. a. notat, repertorium sic dici, quia reperta continet & inventa, sive quia inventa in bonis pupilli ibi descripta habentur. Sic sæpe etiam in jure indigitatur per bonorum indaginem, Investigationem, Inquisitionem, & plenam bonorum descriptionem. *ut in l. si quis. 7. C. de bon. prescript. quia inventarij confectio constrictâ inquisitione & diligentissimè celebrari debet. d. l. 7. Ant. Sola. comment. ad const. Sabaud. tit. de Minorib. p. 1. gloss. un. num. 1.* Dicitur etiam commentarius facultatum. *Novell. Leon. 110. Item, Testatum l. 1. §. 4. ibi, res, quales sint, in testatum redegerint. ff. usufruct. quemadm. cav.* aliquando vocatur synopsis bonorum, Græco vocabulo, usu Latinis commune facto *l. magis puto. 5. §. imprimis 11. ff. de Tut. & rat. distrab.* Græcis aliàs dicitur *ἀναγγραφή. l. cum plures 15. ff. de reb. aut. Ind. possid. Videatur P. Gregor. 3. Syntagm. jur. univers. 46. cap. 3. num. 2.* quamvis Theoph. §. pen. I. de hered. qual. & diff. in paraphrasi sua Græca, hoc Latinum nostrum tanquam artis juris civilis vocabulum retinere & Græcum *ἰνβεντάριον* efficere maluerit. Id quod etiam postea Germani imitati, qui itidem hoc Inventarij vocabulum suâ civitate donârunt & populare reddidêre, ein Inventarium. Licet nonnulli purioris linguæ Germanicæ sectatores, synonymo utantur vocabulo, ein Erb. Register / uti singulorum heredum dicitur *Thes. Register.*

§. 8. Inventarium heredis (ut rei definitionem subjungam) definitio cum acutissimo Iuris D. Bachov. ad Treutl. 2. 12. 8. lit. a. & Ampf. Dn. D. Biccio, Præceptore meo venerando sect. 3. Aureorum thes. 105. quod sit scriptura publica solemnis, sub præsentia legitimarum personarum facta, rerum singularum, quæ in hereditate defuncti inventa sunt, plenam annotationem continens. Quâ cum ferè coincidit illa quæ à C. I. A. d. 29. ff. 3. thes. 31. proponitur, quod nempe sit descriptio omnium bonorum defuncti mortis tempore existentium, in præsentia legitimarum personarum ritè confecta. Paulò aliter definit *Mynsing. ad §. pen. I. de hered. qual. & diff. ibi.* Inventarium est descriptio omnium bonorum, citatis quorum interest, ex forma constitutionis Justinianæ facta. Quæ tamen cum ad meram juris civilis rationem

tionem respiciat, rector illa & ad moderna accommodatior, quæ plenius, ut supra definitur.

§. 9. Et quidem dicitur I. Scriptura, quia inventarium præcisè scripturam requirit. Licet enim aliàs & regulariter, tam in contractibus, quàm ultimis voluntatibus liberum cuius sit, scripturam adhibere, vel non, assidueque videamus in rebus & negotiis gerendis, in quibus scriptura interponitur, id magis ad uberiores certitudinem & cautionem fieri, utque rei memoria, quæ in hac mortalitate infirma & fragilis est; *Const. Tanta. §. 14. de confirm. digest. l. 44. ff. de acquir. possess. diutius conservetur. Unde illud juris tralatitium: Scriptura fit ad probationem, non ad obligationem. l. 26. §. 2. in fin. ff. de pos. l. 4. ff. de pignor. & passim alibi in jure.* Attamen uti vix datur regula, quæ non suam patiat exceptionem *l. 202. ff. de R. I. & ibi Dd.* Ita inter casus speciales, qui scripturam constant, etiam refertur Inventarium heredis. *Alciat. in l. 17. C. de pact.*

§. 10. Dicitur Solemnis, conficienda scilicet secundum præscriptum. *d. l. ult. C. de jur. delib. publica, h. e. per personam publicam, Tabellionem scilicet unum vel plures, facta. l. fin. §. 2. C. de jur. delib. Harprecht. ad clarum §. Testamentum, quæst. 66. num. 1. Ant. Sola. d. l. num. 10.* si quidem descriptio bonorum ab herede aut ipso defuncto ante mortem suam privatim facta, heredem à confectioe inventarij huius non relevat; modò eius beneficio uti velit *Sichard. ad d. l. ult. §. 2. num. 14. Mynsing. respons. 79. num. ult. Altorph. Icti resp. 53. p. 249. C. I. A. d. 29. ff. 2. thes. 36. num. 4.* licet enim confectio inventarij pertineat ad utilitatem heredis & testatoris, atque hætenus privati juris sit. *arg. §. ult. Inst. de i. & I.* Autoritate tamen est juris publici, cui privatus derogare non potest. *Speculat. in tit. de instrum. edit §. dicto, num. 4.* ne, hoc permisso, ut lepidè monet *Lucas de Penna ad l. 1. C. de can. frum. Urb. Rom. lib. II.* inventarium ab inveniendò degeneret, & fiat inventarium à mentiendò.

§. 11. Dicitur III. sub præsentia legitimarum personarum facta. Sed de his *infra membro 2. part. 1. §. 1.* pluribus dicturus sum.

§. 12. Dicitur IV. Rerum in hereditate inventarum. Rerum vocabulum hîc in sua latitudine, quæ omnia comprehendit, accipitur, & præsupponit omnia describenda, quæ in defuncti substantia mortis tempore fuerunt reperta, tam corporalia, quàm incorporalia,

poralia, cum ea quæ sunt in bonis defuncti, tum illa quæ ex bonis illius sunt, ut res depositæ, commodatæ, pignori datæ &c. Item res ab ipso legatæ, donatæ, etiam æs alienum, die *Schulden auß dem Erb. Anton. Sola d. l. num. 32.*

§. 13. Dicitur V. Defuncti, quia inventarium exordium capere debet super iis rebus, quas mortis tempore defunctus habebat. *Anton. Sola d. l. n. 32.* quamdiu enim aliquis vivit, nec heredem, nec hereditatem habere dicitur. *l. 2. §. 2. ff. de vulg. & pup. subst. C. I. A. d. l. th. 36. num. 4. Altorph. Icti d. respons. nec bona sua hereditario jure, ad alium transferre potest. t. t. de acquis. per arrog. l. 17. §. 1. ff. si quis in fraud. cred.* Non autem, Testatoris, quia non tantum Testamentarij, sed etiam legitimi & ab intestato venientes heredes hoc beneficio, si velint, gaudere, & inventarium conficere possunt.

§. 14. Additur demum, plenam annotationem continens. Nec enim sub involucro quopiam ac quasi in ænigmate, sed ordine & distinctè, quæ, quales, quantæ, & ubi sint, debent demonstrari, & ita singulæ inventario inferri.

Membrum II.

Continens πραγματολογίαν, sive specialem Inventarij heredis tractationem.

Hucusque fuit generalis Inventarij heredis tractatio. Sequitur nunc specialis, duabus hisce exponenda partibus. 1. Ut inventarium heredis consideretur, quæ constituendum. 2. Quæ constitutum. Et constituendum quidem ex suis causis, iisque tam externis, Efficiente & Fine, quàm internis, quæ sunt materia & forma.

P A R S. I.

De Inventario heredis constituendo, hoc est, de causis, Inventarium heredis constituentibus.

§. I.

VTque de eâ, quæ semper intentione reliquas causas antevertit, causâ nempe finali, incipiam. Est huius beneficij finis, alius principalis, alius minus principalis. Et hic quidem est favor & gra-

& gratia tam defunctorum ipsorum, quàm creditorum hereditario-
 rum, legatariorum &c. *Grivel. decis. dol. 17. num. 7. Barr. tr. de success.*
 II. tit. 9. num. 18. Illis siquidem prospiciendum erat, non tantum, ut
 ultima eorum si quæ essent, judicia, suum sortirentur eventum, &
 exitum haberent, *l. 5. ff. Testam. quemadm. aper. l. 1. C. de SS. Eccles. No-*
vell. 1. in fin. verum etiam, ut suos, inprimis si egentes essent, haberent
 successores & heredes. *l. 6. ff. de interrogat. in jure faciend.* qui satis
 facturi essent creditoribus atque ita ignominiam, si bona sub præco-
 nis voce publicè venirent, *Novell. 135. à memoria defuncti declina-*
rent. arg. §. 1. Inst. qui & ex quib. caus. man. non lic. Sebast. Montic. de
Invent. quæst. 226. num. His verò, nempe creditoribus hereditariis,
 legatariis, &c. non tantum, ne solutione retardarentur, sed & ut
 rerum hereditariarum, præcipuè sibi obligatarum, & obnoxiarum
 notitiam nanciscerentur, easque eodem statu reperirent, neque quic-
 quam à quopiam subtrahi aut celari posset. *Sebastian. Monticul. d. l.*
Grivel. d. decis. num. 7. Carpzov. in Iurisprud. forens. 3. constit. 3. de-
fin. 17. num. 4.

2. Quibus de consuetudine accessit in plerisque ferè Germa-
 niæ locis etiam interesse publicum, ut scilicet ex inventario confecto
 constet quantitas patrimonij defuncti, & an is in censu agendo fide-
 liter bona sua indicaverit, & catastro sive extimo inscribi curaverit,
 Ob er sein Gut gebührend angeben vnd verstellen (ut hinc Argentorati)
 Item, seine Steuer / Schoß / Schakung / seine Lösung gebührend ent-
 richtet. Item, die Nachsteuer. *C. l. A. d. 29. ff. 2. thes. 34. num. 1.* Quam-
 tamen consuetudinem celebriora quædam Emporia, quasi exitio-
 sam & negotiationem impediendam (mercatorum enim præcipuè
 interest, ut vires patrimonij lateant, nec pateant) è Republica
 sua exesse jusserunt, censusque ad bonam cuiuslibet civis fidem
 exigunt.

3. Principalis verò Inventarij finis est heredis indemnitas,
 ut inventario confecto liceat ei habere hereditatem, & in tantum te-
 neri, quantum valere bona hereditatis contingit. *§. penult. Instit. de*
hered. qual. & diff. l. ult. C. de jur. delib. Mont. d. l. Etenim uti sæpe
 amplius homines de facultatibus alicuius sperant, quàm in illis est.
§. 3 qui & ex quib. caus. manum. non lic. Ita etiam circa hereditatem de-
 latam plerunque heredes falluntur, qui eam credunt lucrosam, post-
 ea autem experiuntur damnosam & exitiosam prorumpente are
 alieno, quod tempore aditæ hereditatis latebat. *§. fin. in princ.* Idèd

B ne hinc



ne hic impingant, constituit Imp. ut rerum hereditiarum inventarium celebrent & sub hoc clypeo tuti hereditatem obtineant. C. I. A. d. thes. 34. conferatur infr. membr. 2. §. 1.

4. *Causa efficiens* vel est remota, vel propinqua. Remota est, non jus gentium, sed jus civile, cui inventum hoc beneficii inventarij accepto ferendum. Grassus §. *inventariū. quest. 2. n. 1.* Proxima verò est Justinianus Imperator sacratissimus, qui primus (nec enim de Jure Digestorum, hoc est, veteribus Jurisconsultis beneficiū hoc Inventarij, quod heredi cognitum fuit C. I. A. d. l. thes. 31.) per constitutionem suam nobilissimam & æquissimam §. *penult. Inst. de hered. qual. & diff.* quæ est l. *fin. C. de jur. delib.* postea etiam in *Novell. 1.* repetitum, beneficium hoc introduxit. Cùm enim sæpius aditâ jam hereditate, improvisa emergerent debita hereditaria, aliâque onera dubia & periculosa, quibus exanthlandis & sustinendis heres omnimodò & supra vires hereditarias, frustra objecta sua ignorantia vel Testatoris inopia d. l. *fin. C. de jur. delib.* illigebatur, videatur §. 5. *Inst. de oblig. quæ quasi ex contract. l. 5. §. 2. ff. de O. & A. l. 3. §. ult. ff. quib. ex caus. in possess. eat. l. 15. C. de donat. l. 10. C. de jur. delib.* siquidem is, juris universi quod defunctus habuit, successor est. l. 24. ff. de V. S. l. 62. ff. de R. I. hoc est, tam illius, quod in alios habuit, quàm quod alij in ipsum habent. *Magnific. Dn. D. Jacob. Draco Cancellar. Saxo Coburg. Patronus meus venerandus. De Hereditate, thes. 32.* id autem à pietate & humanitate planè alienum esset. Divus quidem Hadrianus Imperator casu existente cuidam speciali beneficio succurrit, & veniam dedit. §. *penult. Inst. de hered. qual. & diff.* Postea Divus Gordianus militibus tantummodò, qui per ignorantiam hereditatem adierant, hoc concessit, ut de his solum rebus convenirentur, quas in hereditate defuncti invenissent, nec ipsorum bona à creditoribus hereditariis inquietarentur. d. §. *penult. d. l. fin. pr. C. de jur. delib.* Promulgavit & Justinianus Imp. super hoc duas cõstitutiones, verùm cum neutra harum, ad rerum cõsummationem sufficiens esset, non prior, quæ de improvisis tantum debitis & incerto exitu, per diversas species eis imposito, (*quæ constitutio repetitâ prælectione Codicis Justiniani expuncta est, nec amplius extat Giphani. ad d. l. fin. C. de jur. delib.*) altera verò de his, qui deliberandum pro hereditate sibi delata existimaverunt, quæ est l. 19. *C. de jur. delib.* cavebant. Idem Justinianus Imp. cuius diadema præter Religionem etiam subditorum cura decoravit, *Novell. 30.* demum ex
omni-

omnibus istis constitutionibus unam collegit, & non solum milites huiusmodi beneficio adjuvare, sed etiam ad omnes heredes hoc extendere humanum duxit, ita ut si improvisum emergeret debitum, aut onerosa se postmodum exhiberet, quam adissent, hereditas, inventario rerum hereditariarum ritè confecto, ultra illarum quantitatem non tenerentur. Cùmque populare hoc esset, usus tandem inventariorum per universum Imperium Romanum obtinuit, & etiamnum hodiè ferè ubique obtinet. *Giphan. ad l. fin. in pr. C. de jur. delib.* nisi quod diversorum locorum statuta & mores circa formam sæpius variarint, qui hodie imprimis sunt inspiciendi, *arg. l. fin. in fin. C. de jur. delib. Grivel. Dol. decis. 121. n. 3.*

§. 5. Sanè Jus Saxonicum in hoc à Jure Civili differt, licet enim illud non prohibeat, quo minus heres inventarium conficiat, eoque periculis hereditatis aditæ ne eum contingant, obicem ponat; Attamen si hoc heres facere neglexerit, illud eum nihilominus indempnem pronunciat, & à pœna non confecti inventarij immunem præstat. Ita *Landrecht. art. 6. ibi, Wer das Erbe nimt / soll zu recht die Schulden bezahlen / als fern das Erbe reicht.* quem textum, licet quidam secundum jus civile restringendum putarint, confecto scilicet inventario. *Hunn. ad Treutler. 2. 12. 9. lit. a. Glossa tamen ad d. art. 6. Landrecht. & ibi Zobel. in addit. lit. A. Glossa ad Weichbild. art. 26.* simpliciter eum accipiendum esse, notat, modò heres desuper requisitus juratò res hereditarias indicare velit, id quod disertè confirmatur ab Augusto Saxonie Electore & Duce laudatissimo *const. 33. §. damit aber. Fachsius 2. differ. jur. civ. & Sax. p. 1. differ. 38. atque ita observari, testatur Gøden. conf. 15. nu. 8. Hartman. 2. quest. 2. n. 44. Coler. de process. Execut. p. 2. cap. 3. num. 384. Wesemb. ad §. penult. Inst. de hered. qual. & diff. & 1. conf. 13. num. 24. Schrader. 7. Feud. 2. num. 52. Bachov. ad Treuler. 2. 12. 8. lit. a. Matth. Berlich. 3. conclus. pract. 46. num. 10. Carpzov. in Jurisprud. forens. 3. constitut. 33. definit. 8. & defin. 18. ibi, ist gedachter N. ein richtiges Inventarium, selbiger Verlassenschaft vorzulegen / oder in ermanglung dessen / solche endlichen anzuseigen schuldig. V. R. W.*

§. 6. Materia Inventarij heredis alia est subjectiva, alia Objectiva. Subjectiva sunt personæ, exque vel quæ inventarium faciunt, vel coram quibus id fieri, vel per quas inventarium conscribi debet.

§. 7. Inventarium facit Heres, qui eo uti vult, hoc est, qui coram iudicio protestatur, & profitetur, se inventarium velle conficere, huiusque beneficium implorat. *Grivel. decis. Dol. 121. num. 2.* Uti enim heres ad conficiendum inventarium invitatus non cogitur, sed liberi arbitrij est, an onera hereditaria simpliciter in se suscipere, & hereditatem defuncti pure adire velit, an vero inventarium conficere, eoque sibi cavere, ne sua bona, si hereditas non sufficiat à creditoribus defuncti inquietentur, *d. l. penult. in princ. & §. 1.* Ita nec cuilibet heredi Inventarium facienti Imp. Justinianus favere voluit, sed eum tantum, qui legis beneficium ritè imploravit, & per observationem, quam suà constitutione introduxit, inventarium confecit, *Grivel. d. l. C. I. A. thes. 34. num. 1.* Dixi, Heres, unus sit, sive plures, ad quem vel quos est hereditas delata, is, vel ij, si faciant inventarium, non tenentur ultra vires hereditatis, in singulis enim heredibus ratio beneficij inventarij locum habet, ita ut si forsitan plures sint heredes, singuli si hoc beneficio frui velint, inventaria conficere teneantur. Nec enim id quod alter fecit, alteri prodest, aut nocet. Nisi universi, tui ex illis, hoc negotium commiserint, vel omnes simul confectioni inventarij adfuerint, idque subscripserint. *arg. l. 6. §. 1. ff. de edend. l. 4. §. 9. ff. de fideicommiss. libert.* quod, cum commodius fiat, ad minuendas in primis inventationis expensas, moderna praxis communiter observat. *Mynsing. ad d. §. penult. Inst. de hered. qual. & differ. Barry. de success. II. tit. 10. num. 2.*

§. 8. Sed quid, si pluribus heredibus institutis, unus adit pure & simpliciter, alter vero sub inventarij beneficio, an sumptus inventarii ex universa hereditate, an vero ex illius tantum parte, qui sub inventarij beneficio hereditatem adiit, sint deducendi? Posterius *Aff. per l. non debet. 74. l. factum cuique. 155. ff. de Reg. Iur. Grivel. decis. Dol. 17. per t. t.*

§. 9. Nec interest legitimi sint, sive ab intestato succedentes, an vero Testamentarij heredes, instituti an substituti, *d. l. ult. §. 1. C. de jur. delib.* sive an extranei, *d. §. penult. I. de hered. qual. & differ. d. l. ult. §. 1. ibi, adire maluerit hereditatem, vel sese immiscuerit.* Item an heres sit ex asse? an in certa parte? *d. l. ult. §. 1. utrum directò institutus, & fiduciarius sit heres? an per obliquum ut heres fideicommissarius? d. l. ult. siquidem & hic, pro ea, quæ ei restituta est, hereditatis parte, loco heredis est. §. 3. Inst. de fideicommiss. hered. l. 44. §. 1. ff. ad SC. Treb. confe-*

119.
conferatur Rol. à Valle de Inventar. p.2. quest. 20. C.I.A. d.l. th.31. Hunn.
ad Treutl. 2.12.9. lit. a.

§. 10. An autem inventarium à fiduciario herede ritè confe-
ctum pro fit fideicommissario, si forsan hic inventarium facere omi-
serit? Non una est Doctorum opinio. Negant prodesse, Guid. Papa
quest. 571. P. Gregor. quest. 46. syntagm. Iur. univers. 3. num. 12. Iohan.
Faber d. §. pen. Instit. de hered. qual. & diff. col. 2. Distinguunt, utrum
jushoc inventarij confecti fideicommissario à fiduciario cessum fue-
rit vel non, Post Bart. in l. 11. §. quod vulgò. num. 19. ff. ad l. Falcid. Ant.
Fab. 6. C. 11. defn. 24. Contrà indistinctè prodesse affirmant. Gomez 1.
resol. 5. num. 12. lit. a. & ibi Bachov. Hunn. quorum sententiam ut ve-
riorem & æquorem sequor.

§. 11. Sed quid dicendum de legatario sive fideicommissario
particulari. V. G. Legatus est cuiuspiam ususfructus bonorum cum
onere solvendi certa legata, æs alienum &c. an & hic, ut capiendo
legatum indemnis fervetur, inventarium teneatur conficere? Ne-
gatur §. potest autem. 1. Inst. de singulis rebus per fideicommiss. relict. l.
paterfamil. 114. §. 5. ff. de leg. 1. Bellon. consil. 7. Grivel. decis. dol. 78.
num. 13. & seq.

§. 12. Atque hoc remedium commune est omni personæ quæ
heres instituta, sive ea sit sacerdotalis & magnæ sanctimonix. Nov. 1.
cap. 4. §. 2. Menoch. de præsumpt. 97. Decius cons. 128. sive Secularis &
privata. d. Novell. 1. cap. 4. cuiuslibet conditionis, d. Novell. 1. cap. 4.
Etiam Ecclesiis, Collegiis, Capitulis, Xenodochiis, fisco, &c. quo
de videri potest. Grass. §. hereditas. quest. 5. Fachin. 6. controvers. 21. 22.
P. Gregor. syntagm. lib. 46. cap. 3. num. 13. Barry. d. tract. libr. 11. tit. 9.
nu. 4. Ita. ut si heredes fuerint instituti, nisi inventarium confecerint,
etiam ultra vires hereditarias defuncti nomine teneantur. Barbat. in
c. 1. col. fin. extr. de Testam. Salic. Auth. sed cum Testator C. ad l. Falcid.
ubi dicit. auth. istam in omni Ecclesia herede instituta locum habere. Guid.
Papa. q. 333. & q. 571. Fachin. d. 6. controv. 20. P. Greg. d. l. n. 14. Barry d. l.
n. 1. C. I. A. d. l. thes. 31.

§. 13. Unde ab eo nec rustici nec mulieres, si heredes instituan-
tur, eximij sunt. Roland. à Valle. de Invent. quest. 24. Siquidem rusticis
aut mulieribus non magis succurritur propter juris ignorantiam
quem aliis, nisi in casibus jure expressis, l. fin. C. de jur. & fact. ignor.
Roland. à Valle d. l. q. 24. Barry d. l. tit. 12. num. 2. Imò ne pater quidem,
si filio ut heres succedit, eiusque bona jure hereditario capit, secus si

jure peculij bona filij ad eum perveniant, ubi etiam non confecto inventario peculiotenus tantum eum conveniri posse verius est. §. sunt præterea 38. Inst. de act. §. caterum 5. Inst. quod cum eo, qui in al. potest. l. si infanti 18. §. 1. C. de jur. delib. Sanè militibus propter simplicitatem militarem indulgetur, ut, etiam si inventarium ritè non confecerint, tantum in id teneantur, quod in hereditate invenère d. l. fin. §. 1. & ult. C. de jur. delib. Cuiac. ad Novell. 1. cap. 2. C. I. A. d. l. ff. 2. thes. 20. num. 5.

§. 14. Personæ, coram quibus Inventarium fieri debet, sunt omnes, quorum interest, ceu de quorum præjudicio agitur, tam legatarij, quàm creditores hereditarij, d. l. ult. §. 2. quos, si certi sint, heres nominatim tenetur citare, ut actui huic intersint, vel ipsi, vel si adesse velint, per suos procuratores, Novell. 1. cap. 2. auth. sed cui testator. C. ad Leg. Falcid. Coll. I. A. dict. ¶. thes. 32. num. 3. quod si verò incerti sint, per proclama sive programma publicum evocandi sunt, Porcell. de Invent. cap. 2. num. 3. Sichard. ad d. l. fin. §. 2. num. 2. Bachov. ad Treutl. d. l. th. 8. lit. e. Barr. de success. II. tit. 8. num. 6. (Quid si clerici sint, quorum interest, an & hi per judicem secularem citari possint? Affirm. à Mont. tract. de Invent. cap. 7. num. 20. H. Hartm. d. 2. tit. 41. observ. num. 20. Cævall. tract. de cognit. per viam. viol. pag. 2. quest. 78. num. 2. & seqq.) quod si verò absentes sint, aut confectioni inventarij adesse noluerint (sinè enim eorum præjudicio possunt illi non comparere, H. Hartm. 2. tit. 41. observ. 1. nu. 4.) tunc vice illorum tres testes idonei adhibiti, heredem cognoscentes, defungantur. d. fin. §. 2. & ibi Giphon. Novell. 1. cap. 2. §. 1. & ibi Cuiac. Rittershus. d. 6. Novell. 8. num. 8. H. Hartm. d. l. num. 5. Barry d. tract. de success. II. tit. 8. num. 7. C. I. A. d. l. thes. 32. num. 3.

§. 15. Personæ, per quas inventarium heredis conscribendum, sunt Tabelliones, seu Notarij publici, rogati, unus vel duo, d. l. ult. §. 2. d. Novell. 1. c. 2. verb. Tabellariis. Rittershus. d. 6. Novell. 8. num. 8. Bachov. ad Treutl. 1. 12. 8. lit. e. Diss. Don. 7. comm. 3. Treutl. 2. 12. 8. lit. e. Bocer. cl. 3. disp. 11. thes. 66. lit. e. C. I. A. d. l. thes. 32. num. 2. qui notarium unum sufficere statuunt. An etiam judicis autoritate & præsentia ad inventarium conficiendum opus sit? Disputant Dd. Roland. à Valle 2. conf. 33. num. 36. Arbitror autem, cum neque in d. l. fin. C. de jur. delib. neque in Novell. 1. cap. 2. judicis eiusve præsentia necessaria, mentio fiat, minus eadem requiratur, legalitati judicis non convenire, contra vel præter mentem Imp. novam & solennitatem aliam quærere & in.

120.
& introducere, *Mynsing. d. §. pen. n. 6. Inst. de hered. qual. & diff. & certè*
cùm actus hic inventandi per tres integros menses, imò diutius du-
rare possit, laboriosum admodum esset quotidie, iudicem adire,
eiusque præsentiam rogare. *Videatur Rittershus. d. l. num. 22. Barry*
d. l. num. 8.

§. 16. Materia objectiva Inventarij heredis, sunt omnes
res, quas defunctus mortis tempore habuit & reliquit, tam mobiles
quàm immobiles, corporales & incorporales, *d. l. fin. §. 3. C. de jur.*
delib. & consequenter nomina quoque, tam creditorum, Schulden
auf dem Erb / quàm debitorum, Schulden in das Erb / horumque
instrumenta, quæ aequè inventario inscribenda, non quidem, ut
loquuntur, extensè, sed per principia & ultima verba, C. I. A. d. l. th. 31.
In tantum ut etiam heres inventario inferre necesse habeat, si sibi he-
redi aliquid debeat, vel ipse debeat, ne in illius præjudicium; vel
favorem actio confundatur, *l. fin. §. 9. C. de jur. delib.* sic fructus &
alia quoque augmenta, quæ post mortem testatoris jacenti & vacanti
hereditati accessere, inventario inferenda, *arg. l. 178. §. 1. de V. S. l. 20.*
§. 3. ff. de hered. pet. Valasc. consult. 42. n. 10. Trentl. 2. 12. 8. lit. f. & ibi
Bachov. Hunn. an item res depositæ, commodatæ & c. Vid. Schneid.
ad d. §. penult. Inst. de hered. qual. & differ. num. 14. Sichard. ad d. l. fin.
num. 9. C. I. A. d. l. thes. 31.

17. An autem heres si errore quodam lapsus rem ad heredita-
tem non pertinentem inventario inseruerit, hoc ipso sibi præjudi-
cet? Neg: quamvis ne desuper molestentur, hoc in casu consultius
sit Inventario clausulam illam generalem subjicere, ut si quodpiam
insertum esset, non hereditarium, illud pro non scripto habeatur, *Ob*
etwas darein ebracht würde / dās nicht darein gehörig / daß es vor
nicht gesetzt gehalten werden solle. Quæ clausula, licet nullibi in jure
præscripta sit, & exigatur, *Giphan. ad d. l. ult.* tamen, cum moribus
recepta, propter bonam fidem contestandam, temerariè mitti non
debet. *Angel. Schneidevv. & Dd. communiter ad d. §. penult. Instit. de*
hered. qual. & diff. arg. l. 6. §. 1. ff. de offic. præsid. l. 1. in fin. ff. ex quib. caus.
maj. l. 15. C. de jur. & fact. ign. Valasc. Consult. 52. num. 11. Modest. Pist.
2. conf. 8. num. 29. Rittershus. d. l. num. 11. Hartm. Hartman. 2. tit. 41.
observat. 3. C. I. A. d. l. thes. 36. num. 1. Barry d. tr. lib. 11. tit. 8. num. 13.
Quid si heres & creditores super certa re utrum ea ex hereditate sit, &
in inventarium referenda contendant. *Consulatur Barry d. tr. libr. 11.*
tit. 8. num. 14.

§. 18.

§. 18. Forma seu solemnia Inventarij heredis ex præscripto Justiniani Imperatoris in dict. l. ultim. C. de jur. delib. reassumenda, sunt vel externa, vel interna. Externa consistunt partim in tempore, partim in confirmatione. Tempus aliud est Inventarij inchoandi, aliud absolvendi. Tempus inchoationis, sive ex quo tempore heres inventarium conficere incipiat, est ex Divi Justiniani Imperatoris constitutione unius mensis, sive 30. dierum, ex die, non mortis defuncti, nec cognitæ, sed aditæ demum ab herede hereditatis, computandum.

§. 19. Hac de controversia, an scilicet fatale inventarij heredis inchoandi, currat ex die mortis defuncti, an cognitæ, aditæ vè hereditatis? ut hîc pluribus agam, movet ipsa Dd. circa hanc controversiam varietas. Sanè ex mortis defuncti die, istud non currere, (quantum equidem novi) nemo Doctorum est, qui dissentit, nisi in certis quibusdam casibus, inter quos modò notandus, nempe ubi heredi absenti ad confectionem inventarij annus indultus. *d. l. ult. §. 3. ibi, unius anni spatium à morte Testatoris numerandum.* & ubi heres dolosè hereditatem adire distulerit, *secundum Didac. Spino in specul. Testam. tit. de confect. Inventar. num. 27. Ant. Faber 6. C. II. def. 9. Barr. d. l. lib. II. tit. 18. num. 2.* An verò currat ex die cognitæ tantum hereditatis, an demum ea aditæ? hîc Rhodus hîc saltus. Illud asserunt post *Vett. Monticul. de Invent. 7. membr. princ. num. 3. Sichard. Giph. Donell. ad d. l. fin. C. de jur. delib. P. Gregor. 3. Syntagm. Iur. univers. 46. cap. 3. num. 10. Fachin. 4. controvers. 35. Treutl. 2. 12. §. lit. 6. Novell. 8, num. 7. C. I. A. 29, thes. 32.* Hoc verò post Bartolum & Baldum statuunt *Peregrin. de fidei commiss. art. 32. num. 4. Dilect. de arr. Testand. tit. 11. caut. 8. Grassus §. hereditas. quest. 5. Decius conf. 633. H. Hartm. d. tit. 41. obs. 1. num. 13. Ant. Faber 6. C. II. def. 9. & 20. Idem 2. Error. pragmat. 6. Grivel. decis. dol. 145. ubi hanc opinionem communem & receptiorem laudat. Christin. 4. decis. Belgic. 22. num. 4. Bachov. Hunn. ad Treutl. d. l. ubi dicit hanc opinionem æquissimam habere rationem & usu fori receptam esse. Guido Papa quest. 571. secundum hanc opinionem testatur.* Ego percussus auctoritate tantorum Doctorum dubius hæreo, quibus accedam. Sed videamus per saturationem rationes. Nituntur illi *d. l. un. §. 2. ibi, ut intra 30. dies post apertas tabulas, vel postquam ei nota fuit apertura tabularum, vel delatam sibi ab intestato hereditatem cognoverit, numerandos, exordium capiat inventarium. 2. quod d. l. ult. §. 2. loquatur de du-*

de dubio, utrum admittenda sit hereditas, nec ne. 3. argumentantur ab oppositione heredum absentium, & presentium, quod illis incipiat currere, à die mortis defuncti: Ergò his à tempore hereditatis agnita. 4. Intentione legislatoris, quæ est, præfixo hoc termino cavere, ne creditores hereditarij diutius suis defraudentur pecuniis, quæ sanè deficeret, si ex aditæ demum hereditatis die terminus esset computandus.

Hi verò inducunt, quod 1. beneficium inventarij heredis, quâ heredis, intuitu & favore sit introductum, ut *supra membr. 1. part. 1. §. 1. pluribus fuit demonstratum*, qui ante aditionem hereditatis nullus est. *Magnific. Dn. D. Draco d. l. de hereditate. thes. 28. & seqq. 2.* Et extra heredem, inventarium nullius bono fit, quatenus cuilibet delatam hereditatem repudiare, atque sic oneribus hereditariis se subducere, liberum est. 3. Deficeret etiam præcipuus huiusmet ipsius conficiendi inventarij termini constituti effectus, qui est, ne durante hoc inventationis actu, heres à creditoribus hereditariis conveniatur, *d. l. ultim. §. 11.* Siquidem ex delata tantum hereditate nondum tamen adita, nemo creditoribus hereditariis aut legatariis obligatur. *§. 5. Inst. de oblig. quæ quasi ex contractu.* 4. Quod Gordiani Imperatoris lege cautum fuerit, de militibus, qui jam adierant hereditatem, quæ cum ab Imperatore Justiniani extensa fuerit ad omnes cives Romanos, merito etiam hæc qualitas subintelligitur, secundum communem Dd. regulam: Quod extensio facta per legem novam de lege antiqua censeatur facta cum omnibus qualitatibus legis antiquæ, quæ nisi expressè correctæ sint, censeantur repetitæ in lege nova extendente. *Cardin. Tuschus lit. E. concl. pract. 661. & ibi allegg.* Et denique §. quod totiens. *in d. l. ult. & Novell. 1. heredis & hereditatis aditæ, fiat mentio, ut §. 2. d. l. ult. subscriptionem heredem supponere necesse est; & paulò post. venerabili signo manu heredis proposito. Item qui heredem agnoscunt. sic §. 3. d. l. heredes abesse. §. 4. heredes admittantur. §. 5. heredem inquietare. §. 10. quam heres inventario scripsit; & paulò post. heredes surripuerunt, celaverunt, Novell. 1. cap. 2. §. 1. fiat igitur inventarium ab herede & c. aditæ verò hereditatis, in d. l. ult. pr. ibi, hereditatem adierunt. Item postquam adiit hereditatem §. 12. postquam adierint, inventarium facere distulerint & passim.* Quibus omnibus expensis, imprimis etiam, quæ *Bachovius ad Treutler. d. l. contra superius allata fundamenta reponit*, non dubito amplius, salva omnium dissentientium autoritate & reverentiâ, in eorum sententiam

tiam ire, qui statuunt terminum inchoandi inventarij ex die aditæ hereditatis computandum esse.

20. An verò inventarium inchoatum dicendum, si heres venerabile tantum crucis signum (quo de requisito infra plura dicam) præposuerit? Rectè negatur, siquidem signum crucis præpositum, propriè non est initium inventarij, cum per illud (ipla evidentia testante) non procedatur ad aliquid inventarij speciale, nec per signum crucis res hereditaria inventa (unde inventarium dicitur) annotatur. Et *Roland. à Valle de inventar. quest. 71.* dicit ex præposito signo crucis inventarium inchoatum non haberi, etiamsi heres Tabellionem & alias personas ad actum hunc pertinentes convocasset, & signum crucis in chartam posuisset.

21. Absolvendi inventarij fatale sunt duo menses, statim priorem illum sequentes, ita ut intra tres menses continuos totum inventarium & inchoari & absolvi omnimodò debeat. Nisi bona hereditatis & hinc & illic longè diffusa sint, quo casu Imp. ad inventarij confectionem annale tempus indulget, *d. l. fin. §. 2. & 3. Cuias. ad Novell. 1. Carpzov. d. tr. p. 3. constit. 33. defin. 13.* (quam limitationem, cur *Giphan. in comment. ad d. l. fin. §. fin. autem, & Hunnius ad Treutler. 2. 12. 8. lit. d. Rittershusius 6. Novell. 8. num. 7. demum per Novell. 1. ab Imp. introductam esse doceant, mihi non liquere, fateor, siquidem cum in d. l. ult. §. fin. num. 3. Imp. apertissimis verbis disponat & constituat, ibi: *fin. autem à locis, in quibus res hereditaria, vel maxima earum pars posita est, heredes abesse contigerit, tunc eis unius anni spatium à morte testatoris numerandum damus ad huiusmodi inventarij consumationem, sufficit enim præfatum tempus, et si longissimis spatiis distent &c.*)*

22. Quid si inventarium præcisè quidem elapso 30. cœptum non fuerit, nihilominus tamen intra præstitutos tres menses sit absolutum & perfectum, an illud ut ritè confectum habeatur? Negat id *Angel. tr. de invent. n. 16. Guido Papa decis. 572. Hunn. ad Treutl. 2. 12. 8.* Communius tamen placuit benignior sententia, tale inventarium omnimodò valere. *Bartol. Bald. Salicet. Iason. Sichard. ad l. ult. C. de jur. delib. Borcell. de invent. cap. 3. num. 23. Schneidevv. ad d. §. penult. Inst. de hered. qual. & diff. Treutler. 2. 12. 8. lit. d. & ibi Bachov. Perez. 6. C. 30. num. 9. Barry d. lib. 11. tit. 8. num. 3.* per rationem satis elegantem, quam reddit *Bald. d. l. quod scilicet, quando plures dentur dilationes, ad unam rem & unum finem, ultima tantum sit peremptoria, prima verò saltem admonitoria. Sanè moribus nostris etiam longius interdum*

dum tempus & plures menses, ad implorationem heredis, per judicem competentem, causa cognita, indulgeri solent, ut testantur *Wesemb. in 7. ff. de jur. delib. Barry d. lib. 11. tit. 8. num. 4. Giphon. ad d. l. ult.* an autem trimestre hoc tempus à judice minui possit? videre est apud *Dilect. de art. Testandi. tit. 11. caut. 8. Barry d. l.* Hæc de tempore Inventarij perficiendi.

§. 23. Sequitur confirmatio. Hæc dependet ex decenti requisitione & adhibitione personarum, ad hunc actum necessariorum, hoc est, earum, coram quibus & per quos inventarium celebrari debeat, de quibus cum supra §§. 13. 14. dixerim, non est ut eadem hinc repetam, & cramben bis coctam reapponam. *videatur etiam Hartm. Hartm. 2. tit. 41. observ. 1. num. 1.* An verò Inventario ab herede rite facto, insuper sententia declaratoria de ipsius validitate & antequam eius inventarij beneficio gaudere debeat heres, requiratur? Nego, nisi ubi per mores id receptum est. *videatur Grivel. decision. Dolan. 121.*

§. 24. Forma Inventarij heredis interna consistit in ipsa rerum hereditariarum, quas defunctus mortis tempore habuit, annotatione & descriptione, heredisque subscriptione, significante rerum hereditariarum quantitatem, & quod nulla malignitate circa eas ab eo facta vel facienda, res apud eum remaneat. si sc. heres scribere noverit, eo enim literas ignorante aut scribere præpedito, ipse quidem in frontispicio inventarij, venerabilis crucis notam suam manu pingat & præponat, (quo de signaturæ usu veterum consuli potest, *Gothofred. in not. ad Novell. 72. lit. y.*) subscriptionem verò per alium Tabellionem coram testibus heredem cognoscentibus, ab herede requisitum perficiat, *d. l. ult. §. 3.* ubi Dd. notant, optimè heredem facere, si per notarium protestationem inventario inserat, ut si quæ posita, quæ poni non debuissent, aut non posita, quæ fuissent ponenda, nullum exinde velit sibi præjudicium creari, *videatur Perez d. l. Barry d. tr. lib. 11. tit. 8. num. 9.*

§. 25. Annotationem ipsam quod attinet, debent in inventario heredis omnia defuncti bona mobilia & immobilia clarè & distinctè per numerum pondus & mensuram, qualitatem & quantitatem, *Barry d. tr. tit. num. 12.* vel ut *Bart. in l. fin. C. de Magist. conven. dicit,* cum circumlocutionibus, quibus possunt referri. Nec enim intelligi possunt, nisi ex pondere, numero, mensura, qualitate, quantitate



titate &c. arg. l. 7. C. de bon. prosc. Pract. Papiens. in forma libelli, quò
agitur de redd. rat. col. 3. vers. adhuc queritur, ubi tradit: in inventario
esse ponendas res omnes & singulas, per signa, latera & confinia. An idem
asserendum de æstimatione rerum, & an ea in inventario heredis ex-
primenda, videre est apud Barry, d. l. 11. tit. 8. num. 12. C. I. A. d. l. th. 32.
num. 5. Hillig. 7. D. E. 3. lit. r. De modo verò & serie rerum annotanda-
rum ab Imperatore Justiniano in d. l. ult. nihil præscribitur. Est qui-
dem Schematismus aliquis in l. si quis 7. C. de bonor. proscript. ibi, plena
descriptio comprehendat, quod spatium, & quod sit juris ingenium, quid
aut incultum sit, aut colatur, quid in vineis, olivetis, aratoris, pascuis,
sylvis fuerit inventum, quæ etiam gratia, quæ amœnitas, locorum sit, quis
in edificiis & possessionibus sit ornatus, quotve mancipia in prædiis occupata
vel urbanis, vel rusticis (forsan enim sic in d. l. 7. rectius legitur, quam ut
vulgò. mancipia in prædiis occupatis, vel urbana vel rustica) vel quarum
artium generibus imbuta teneantur, quot sint censuarij vel coloni, quos
bom exercitiis terrarum atque vomeribus instruentium, quot pecorum &
armentorum greges, & in qua diversitate numerati sint quantum auri &
argenti, & vestium & monilium, vel in specie vel in pondere & in quibus
speciebus, quidve Apothecis sit repertum, tunc demum omnia &c. Verùm
arbitror & hîc omne punctum facere stylum curiæ Tabellionumque,
& modò res hereditatis omnes rectè & ritè sint annotatæ nihil inter-
esse, quâ serie & ordine id factum sit. Hîc Argentorati Inventaria
heredum communius ita conficiuntur, ut in frontispicio statim refe-
ratur requisitio Notarij facta ab herede, loco, die, anno, testibus præ-
tibus, omnibus & singulis probè notatis. Postea subjiciantur rubricæ,
quæ vel accidentales, vel substantiales. Accidentales dico prælimina-
res istas, sub quibus referuntur pacta dotalia, testamenta, aliæve dispo-
sitiones voluntatis ultimæ, vel cõventiones inter vivos. Substantiales
sunt vel primariæ vel secundariæ. Primariæ disternant primariò bo-
na defuncti à bonis superstitis, & utriusq; bona, E. G. si conjuges fue-
rint, in conjugium allata à bonis stante matrimonio acquisitis, ita ut
præmittantur bona uxoris propria, *des Weibs unveränderte Güter*/
post adjiciantur æquè mariti bona, *des Manns unveränderte Güter*/
demum subjiciantur bona stante matrimonio acquisita, *die errungene
und theilbare Güter*. Secundariæ verò comprehendunt res ipsas.
Harum prima plerunque est supellectilium, *theilbaren Hausrath*/
quæ rarius per diversas rubricas indicantur. Exempli gratiâ, *Bett-
werck / Kleider / hülken Hausrath* &c. sed frequentius, à loco, ubi illa in
ædi-

128.
ædibus mortuarijs sita fuere, & illo tempore adhuc sunt, per singu-
los contignationes & conclavia inquisita, quæ, quales, quantæ no-
tantur, sicq; inventario inscribuntur. Exempli gratiâ, in der Wohn-
stuben; reperta: Tisch/ Stül/ Leuchter/ Tischlacten &c. in der Schlaf-
kammer / reperta: Bettladen / Bett / Kästen / darinnen &c. Item
im Hausehren / im Mittelstock / im Oberstock / auff dem Speicher / im
Keller / im Stall &c. 2. Bibliothecæ, 3. continet vasa aurea & ar-
gentea, annulos, &c. 4. Pecuniam numeratam, die Haarschafft /
5. annuos redditus & census, ständige Zins vnd Gülden. 6. Ades,
Eigenthumb an Häusern / 7. Früchten / 8. Wein / 9. Vieh / 10. Hens /
Stroh &c. 11. Schulden in das Erb / quæ vel certa vel incerta, 12.
Schulden auß dem Erb. Singulæ res æstimantur & singulis rubricis
generalis summa subijcitur, quas detracto ære alieno & impensis ne-
cessariis, in fine demum summarum omniû summa sequitur, sicque
inventarium absolvitur; cui Notarius etiam nomen suum in fidem
rerum bonâ fide gestarum subsignat. Alij aliam seriem observant, ut
videre est apud Meisterlin in spec. Notar. lib. 2. part. 2. sect. 6. tit. 4. Sat-
ler. in Thesaur. Notar. p. 1. tit. de invent. quest. 10. Conferatur Thesaur.
quest. 277. Sebast. Montic. de invent. quest. 246. Quod sæpius dixi,
omnes hæ, & præcipuè d. l. fin. D. de jur. delib. præscriptæ solennitates
& conficiendi inventarij requisita, series &c. hodie non semper nec
ubique observantur & obtinent, unde etiam usu receptum, ut in-
ventarium eo modo, quem consuetudo cuiusque loci & regionis
approbat confectum, servetur. Schneid. d. l. num. 17. Duaren. de ad-
quir. hered. cap. 6. Curt. 1. conject. 9. ubi confectionem inventarij secun-
dum constitutionem Imperatoris dicit esse rem multæ observationis quam
vix quispiam hodie observat. Hillig. 7. D. E. 3. lit. e.

Membrum II.

*De Inventario constituto, sive Effectibus inventarij
heredis, eiusdemq; contrariis.*

§. I.

INventarium heredis constitutum considerari potest ratio-
ne effectuum & contrariorum. Illi varij sunt & insignes.
Omnes tamen ex illo dependent scopo, ut heredi optimè prospicia-
tur, ne

C 3

tur, ne is in damnum vel incommodum quodpiam insons incidat. Id quod providebit, si inventarium ritè confecerit, hoc ipso enim hereditatem sine damno & periculo habere potest, C.I.A. d.l. thes. 34. num. 1. Conferatur suprâ membr. 1. p. 1. §. 1. fac. d.l. ult. §. 14. & 9. neque demum aliquod §. pen. ibi, sine damno conservetur Novell. 1. cap. 2. §. 2. ibi, nihil damnificari. Köppen obs. 131. n. 1. & 2. Barry d. tr. de success. II. t. 9. ubi casus quosdam recenset, quibus heres etiam non confecto inventario, nihilominus indemnis manet, sed non vacat hac vice eos ad l. ultim. cynosuram redigere & examinare.

§. 2. Præcipui Effectus inventarij sunt: Primò quod heres, intra tempus à lege ad confectionem inventarij concessum, ipse quidem contra debitores agere non prohibeatur, ab illis autem, ut & à legatariis, fideicommissariis & aliis, conveniri & inquietari non possit, nec debeat. d. l. ult. §. 11. die Schuldgläubiger können ihn durch solchen Vorbehalt voraußgerichtetem Inventario nicht beklagen. Roland. à Valle 2. conf. 73. & conf. 63. H. Hartm. d. 2. tit. 41. obs. 2. num. 16. Rittershus. 6. Novell. 8. num. 24. C.I.A. d.l. thes. 34. num. 8. Barry. de success. II. tit. 9. num. 23. Perez. ad d. l. ult. num. 11. Impedit enim hæc exceptio litis contestationem, Bart. d. l. ult. §. 11. Imò etiam executionem, si forsàn ea ab initio non fuerit proposita. Corneus d. l. ult. §. 11. col. 2. in verbo donec. Bær. decis. 53. num. 3. Hartm. Hartman. d. l. num. 15. Ranchin 1. decis. 56. dum enim inventarium conficitur, hereditas censetur ut jacens. Roland. à Valle d. l. C. I. A. d. l. thes. 34. nam. 8. Sunt tamen & huius regulæ suæ limitationes & fallentiæ, ut, exempli gratiâ, in legato pio, in herede debitores hereditarios, ex causa hereditaria præter necessitatem conveniente, à quibus potest reconveniri. Item, si lis jam cum defuncto fuerit cœpta. Item si heres non conveniatur ut heres, sed ut simplex certæ alicuius rei possessor. arg. l. 41. §. 1. ff. de re judic. de quibus & aliis videri possunt supra allegg. Dd. Item Anton. Faber. 6. Cod. II. defn. 1. & 38. P. Gregor. 3. Syntagm. Iur. univers. 46. cap. 3. num. 20. Fachin. 6. controvers. 27. D. Beck. tract. de jure sistendi, cap. 4. num. 9.

§. 3. Secundus effectus est, quod huiusmodi beneficiarius heres, ante omnia deducere & retinere possit omnes impensas in funus & exequias defuncti factas. Allen nothwendigen Unkosten/so auff die Begräbnusß gangen/ d. l. ult. §. 9. 1. son. ibid. ubi hoc ampliat & extendit etiam ad impensas medicinales, scilicet in curationem tempore,
quo

124

quo defunctus æger decumbebat, factas, *arg. l. 4. C. de hered. pet. l. 14. C. de relig. & sumpt. fun. Sichard. ad d. l. fin. §. 9. num. 1. & 2. C. I. A. d. l. thes. 34. num. 6.* Item deducere potest impensas, si quas defuncti causâ pro ordinatione testamenti, vel insinuatione vel publicatione aut apertura, vel ipse heres pro inventario conficiendo, fecit, summâ, omnes impensas, quæ hereditatis causâ factæ & fieri debuerunt, *Alle nothwendige Aufkosten/so auff verfertigung des Testaments / Inventarij vnd dergleichen gängen / mag der Erbe selbst einbehalten / vnd haben ihm die creditores darinn nichts einzureden.* Exempli gratiâ, si in rebus hereditariis necessariò vendendis, heres sumptus fecit, in subhastiones, in Tabelliones, Nuncios, Apparitores, in Gabellas exsolvendas, in Proxenetas, Antiquarios, & alios venditionum mediatores *arg. l. 72. ff. ad d. Leg. Falcid. Angel. d. l. fin. §. 9. in fin. C. I. A. d. l. thes. 34. num. 2.* Item obtinet in expensis, quas heres litigando cum creditoribus vel legatariis bona fide fecit, siquidem tales expensæ sunt veluti æs alienum, & ex hereditate profectitiæ, quæ heredi beneficiario damno esse non possunt. *Procell. d. tr. de invent. cap. 4. num. 6.* Sed quid, quas cum illis, qui super hereditate ipsa eidem, ne heres sit, controversiam movere, expensas fecit? *Affirmat Fachin. 6. controvers. 29. modò is obtineat, & lite superior evadat, l. 3. & 8. ff. de jur. codicill. vid. Bachov. ad Treutl. d. 2. 12. 9. lit. D.*

§. 4. Quos 3. hîc consequitur, quod confecto inventario, si defunctus heredi forsan aliquid antea debuerit, istæ obligationes & nomina non confundantur, sed ipso effectu maneant rata & salva, *Was der verstorbene ihm schuldig gewesen mag er von der Erbschafft selbst einbehalten* Licet enim per aditionem hereditatis, sine inventario actiones hereditariæ confundi soleant. *l. 7. C. de pact. quatenus scilicet creditoris & debitoris persona in idem individuû concurrere non possunt. l. 75. l. 95 §. aditio. ff. de solut. tamen inventarium confectum impedit obligationum confusionem. Ut & econtra, si heres defuncto quid debuerit. Bocer. class. 3. disput. 11. thes. 67.* Conservat enim beneficium inventarij heredi omnia jura sua, sicut etiam aliis contra ipsum, perinde ac si hereditatem non adiisset. *Cacheran. consil. 62. num. 21. Roland. à Valle 4. cons. 63. num. 55. Rittershus. d. l. num. 21. C. I. A. d. l. thes. 34. num. 3.* ubi aliam notat rationem. An verò heres in his prærogativam aliquam habeat, & prius suum creditum deducere & retinere possit? *Videre licet apud Schneidevvin. d. §. penult. num. 25. Instit. de heredit. qualit. & different. P. Gregor. d. l. num. 17.*

Barry

Barry d. l. tit. 9. num. 14. Charond. 7. respons. 182. Bocer. d. l. C. I. A. d. l. thes. 34. num. 3.

§. 5. Quartus est, quod non confecto inventario heres Falcidiae & Trebellianicae LL. beneficia perdat & amittat, quae salva conservat, si inventarium conficiat. d. l. ult. §. 14. Novell. 1. cap. 2. §. 2. & ibi Dd. C. I. A. d. l. thes. 34. num. 2. quae tamen assertio, ut rectius percipiatur, ante omnia distinguenda est; alia siquidem est quaestio: An heres non conficiens inventarium perdat tantum Falcidiae beneficium? alia si quaeratur. An praeter amissionem Falcidiae, etiam de suo legatariis hoc casu teneatur? in has enim diversas sententias Dd. secedunt. Illam propugnat P. Gregor. 3. syntagm. Inst. univ. 46. cap. 5. num. 9. & alij per d. gloss. fin. §. 4. & 14. Hanc vero Dd. communius Menoch. 6. de praesumpt. 97. num. 13. Mascard. de probat. conclus. 851. Anton. Faber 2. error. Pragm. 13. Decius cons. 128. Barry de success. lib. tt. tit. 9. num. 1. Treutler. 2. 12. 9. lit. c. qui eam receptiorem & veriore esse dicunt. per Novell. 1. cap. 2. ibi, licet pura substantia morientis transcendat mensuram legatorum datio. auth. sed cum Testator Cod. ad Leg. Falcid. ibi: quo non observato, solida legata praestet, etsi fines hereditarios excedant.

§. 6. An vero aequior illa sit, & in ipso etiam conscientiae foro obtineat? quidam huius sententiae patroni dubitant, Treutler. 2. 12. 9. lit. c. & quos ibi in hanc sententiam allegat Bart. Bald. Angel. expressè dicit in foro conscientiae, heredem nemini teneri ultra vires hereditarias idem tradunt Covarruvias in cap. 1. extr. de Testam. num. 22. Rolandus à Valle tract. de Inventar. p. ult. §. in foro conscientiae. Bocer. consil. 53. Fachin. 6. contrav. 24. Mynsing. d. §. penult. num. 22. Mihi sane, huiusmodi de aequitate Legum, postquam jam latae & sancitae sunt, disputationes, plerunque suspectae videntur, imò mali exempli nec Juris Studiose muneris, ea, quae subtilissimo & divino quodam motu condita merito creduntur. l. ultim. C. de praescript. long. temp. l. ultim. C. de fideicommiss. junct. Rom. cap. 13. ex aequitate merè, ut plurimum, cerebrina redarguere.

§. 7. De Trebellianica, quam vocant, quarta, an heres fiduciarius non conficiens inventarium eam perdat? Maior est Dd. conflictus, ita ut Chass. dec. 3. in fin. de testam. Caesarem de super decisionem exigat. Cum enim hic certo & determinato destituamur textu, visum cuilibet integrum, circa huius controversiae decisionem suo ab-

uti

126
uti iudicio, *Fulgof. 1. conf. 96.* Summo, quod aiunt, digito, ostendam rationes. Et quidem affirmantium hæc sunt. 1. Falcidiæ beneficij, quod heres non confecto inventario perdit, *per d. l. fin. §. 14. Novell. 1. cap. 2. §. 2.* cum Trebellianicæ analogia, ita ut ubi Falcidia locum non habet, etiam Trebellianica cesset *l. 1. §. 18. l. 3. §. 1. ff. ad Trebell.* & 2. rationis hîc identitas, imò 3. maioritas, quatenus nempe heres utens Falcidiâ in aliis etiam magis gravatur, quàm si Trebellianicam detraxerit, *d. l. fin. Novell. 1. cap. 2. §. 2. l. 1. in fin. ff. ad SC. Trebell.* 4. facit, quod cum non conficientis inventarium heredis pœna sit, ut ultra vires hereditatis teneatur; multò magis carebit hoc casu tantillo lucro, *arg. l. fin. §. 2. C. de codicill.* 5. quod tantò magis hîc concludit, cum lex inventarij beneficium heredis favore introduxit, quo cum usus non sit, eò meritò indignus habetur, *l. 16. de jur. patron. l. 23. C. mandat. §. 5.* movet, quod heres fideicommissò gravatus teneatur ad rationes reddendas, *l. 3. §. 3. ff. de condit. & demonstr.* Ergò ad conficiendû inventarium, & consequenter eo non confecto, ad pœnam. 7. hac enim si tutus esset heres, ei delinquendi & res hereditarias subtrahendi præberetur occasio. 8. Denique cum *d. l. ult. §. 10. & II. & d. Novell. 1. c. 2.* expressè faciat mentionem fideicommissariorum, non est quod impedit, quo minus *dd. ll.* etiam ad fiduciarios heredes hoc in casu extendamus. *Ita Menoch. consil. 271. num. 18. & tract. de adipisc. possess. remed. 2. num. 74. Mascard. de probat. conclus. 851. Gomez. 1. resol. 5. num. 12. Honded. 1. consil. 63. num. III. Cacheran. decis. 147. Hunn. ad Treutler. 2. 12. 9. lit. a. Barry de success. 15. tit. 7. num. 4. C. I. A. dict. l. thes. 36. num. 7.*

Negantes verò his præcipuè rationibus 1. quod leges de Trebellianica retinenda non reperiantur correctæ. 2. nec pœna ulla hac lege sancita & expressa. 3. in pœnalibus non sit facienda extensio. 4. imprimis in terminis correctoriis. 5. potius semper in pœnalibus benignior pars sequenda & odia non amplianda, sed restringenda. 6. Quod vocabulû heres in *dd. ll.* sit accipiendû in significatu potentiori. 7. Quod fiduciarus heres ultra hereditatem quam solam fideicommissarius persequitur ad aliud aliquid teneri non possit. *Ita Myns. 3. obs. 60. Gail. 2. obs. 135. n. 6. Graven. 2. con cl. pract. 138. Andr. Fachin. 4. contro. 38. Fabius de Ann. consult. 25. n. 18. Hot. 4. obs. 14. & 5. obs. 20. Treutl. 2. 12. 9. lit. a.* Sunt quidam, qui distinguunt inter descendentes & heredes planè extraneos illos ab hac pœna inventarij non confecti eximios esse, non hos. *Ita Decian. 2. cons. 49. n. 61. Ant. Faber 6. Cod. 49. defn. 6.* alij inter ipsos de-

D
scenden-

scendentes hanc differentiam constituunt, ut tantum liberos, non
verò reliquos descendentes ab hac pœna immunes asserant. *P. de Pe-
tra tract. de fideicommiss. quæst. 15. num. 157.* Alij interesse arbitrantur,
utrum heres gravatus, statim & purè aditam hereditatem fideicom-
missario restituere sit rogatus? an demum post certum tempus vel sub
conditione? illo casu volunt heredem fiduciarium, etiam non con-
fecto inventario, nihilominus Trebellianicam retinere posse, secus
autem hoc posteriori casu, sic *Riminald. 2. consil. 156. n. 58. Bachov. ad
Trentl. 2. 12. 9. lit. a.* Nec desunt, qui putant, negativam esse limitan-
dam & fallere, si fideicommissarius confectionem Inventarij à fidu-
ciario postulaverit. Et quis omnes huius argumenti diversitatis
scrupulos notare & evolvere potis est?

Sic suus huc, illuc, quemlibet error agit.


Non dissimulo, quod nisi Augustum Imp. Camerae Dicasterium fa-
cem hîc poneret, per quam, quo in practica eundem esset, appareret,
negativam nempe sententiam disputatione fori receptam secun-
dumque eam in summis ubique dicasteriis judicari, attestantibus
Mynsing. Gail. Greven. Fachin. ego facilè à negativa declinarem, & per-
tritam affirmantium viam ambularem.

§. 8. Ex quibus etiam facilè cuius judicium sumere licet, quid
statuendum in illa quæstione, ubi filius gravatus confectionem in-
ventarij non fraudulenter omisit, An hoc casu legitimæ detractio
salva eidem maneat? Etenim si heres ob omissam inventarij con-
fectionem non amittit Trebellianicam, multò minus ex hac causa
perdet legitimam. imprimis 2. cum regulariter legitima nec directò,
nec per indirectum tolli possit, ullumve gravamen aut præjudicium
filio inferri in legitima. 3. Nullaque lex sit, qua pœna hæc non con-
fecti inventarij sit sancita & expressa. 4. Ut taceam, quod legitima
non sit quota hereditatis, sed bonorum. *l. Papinianus. §. quarta. ff. de
inoffic. Test. 5. Sit debitum naturale l. 36. §. 2. C. de inoff. Test. auct. Nec
amplius. C. de fideicom. ex causa alimentorum l. 5. §. 3. C. ad l. Iul. maies-
t. junct. pr. l. de I. N. G. & Civ. l. 7. ff. de bon. damn. 6. Habeatur & dicatur
res alienum. l. 8. §. 8. & 9. ff. de inoff. Testam. cui inventarij confectio ut
omissio per se nihil derogat. Atque hanc sententiam communis ad-
mittit practica, testante M. Ant. Peregrin. de fideicom. art. 36. n. 149.
Gail. 2. obs. 138. n. 14. Greven. d. 2. conclus. pract. 138. consil. 1. n. 1. Barry de
success. d. 15. tit. 8. n. 7. Dissent. Claud. de Battand. tr. de legitima. art. 13.
n. 70. & seqq. C. I. A. d. l. th. 36. n. 5.*

§. 9. Quintus effectus est, quod heres talis beneficiarius, non cogatur præcisè creditoribus & legatariis, in pecunia numerata satisfacere, sed liberum eidem sit, vel pecuniam solvere, vel rem hereditariam (deficiente in hereditate pecunia) in solutum dare. Er hat macht/wann keine Baarschaft mehr zur abzahlung der übrigen Erbschulden vorhanden / dem creditori die Erbgüter an bezahlung zu geben / damit sie zu frieden seyn müssen. Compelli possunt creditores res hereditarias in solutum recipere, *d.l. ult. §. 4. & 6. Barry d. tract. lib. II. tit. 0. num. 20.* nec licet illis dicere: vende res hereditarias, & solve in pecunia numerata. Imprimis, si nulli inveniantur emptores idonei, quibus res hereditariae commodè vendi possint. *l. 14. §. 2. ff. de legat. 3. Fachin. 4. contr. 39. Harprecht. ad clarum §. Testamentum. q. 66. n. 4.* Pari ratione heres creditoribus etiam nomina debitorum hereditariorum cedere potest, nec ad eum spectat exactio onus, *Ias. in d. l. fin. §. et si prafat. col. 1.*

§. 10. Sextus effectus est, quod confecto inventario, heres, si creditoribus hereditariis aut legatariis, eo ordine, quo quisq; id quod sibi debetur, petit, vel, ut dici solet, sibi vigilat, bona fide solverit, aliis legatariis aut creditoribus, licet tempore prioribus, toto patrimonio defuncti distributo, ob id non teneatur, *Harprecht. ad clarum d. l. etiam si à legatariis nullam receperit cautionem d. l. ult. §. 4. de jur. delib. & ibi Sichard. num. 6. Valasc. consult. 52. num. 28. P. Gregor. d. 3. syntagm. 46. c. 3. n. 17. Barr. d. l. tit. 9. n. 21.*

§. 11. Septimus est effectus, quod per confectionem inventarij modo quodam jus hypothecæ, quod habet creditor in rebus hereditariis, minuatur & extinguatur, hætenus nempe, quando scilicet heres rem aliquam hereditariam ob alias necessarias impensas exsolvendas, vel urgentibus aliis creditoribus satisfacere, bona fide vendiderit, Etenim tam heres quam emptor statim in re tali emptæ securi sunt, nec possunt à creditore hereditario, licet in re vendita specialem habuerit hypothecam, desuper conveniri aut inquietari. *d. l. ult. §. 5. 7. 8. Rittershus. 6. Novell. 8. n. 23. C. I. A. d. l. tit. 34. n. 4.* ob rationem evidentissimam: Si quidem si liceret creditori rem venditam emptori evincere & auferre, posset is evictionis nomine heredem convenire, atque sic contra scopum huius beneficij, hic damnum pateretur. Quomodo autem & quibus remediis huiusmodi creditori contra alios cteditores, legatariosve, consulatur, docet *Giphan. ad d. l. fin.* Sic Inventarium ritè & solenniter confectum, semper probationem



facit & pro inventario præsumitur eoque standum, *Barry d. tr. lib. ii. tit. 8. n. 12. Carpzov. d. p. 3. q. 33. de syn. 8. n. 7.* Ubi tamen creditoribus & legatariis integrum est, si queant, contrarium probare, quæ probatio quomodo fieri debeat, tradit *Masc. de prob. concl. 852. & 840.*

§. 12. Sunt insuper alij inventarij ritè confecti effectus. Verùm cum institutum meum non patiatur singulos hïc recensere, præcipuis hisce notatis filum abrumpto, ad Dd. allegatos benevolum lectorem remittens.

§. 13. Superest, ut de contrariis videamus, quod alterum esse, circa inventarium constitutum considerandum, dixi supra *membr. 2. §. 1.* Sunt autem inventarij beneficio contraria, non tantùm, si heres inventarium planè non, aut quod effectu in idem incidit *C. I. A. d. l. th. 36. n. 4.* non ritè nec legitimè confecerit; verum etiam, si inventarium facere fuerit prohibitus. Etenim non tantùm statuto hoc beneficium, ut quilibet alia jura civilia *§. fin. Inst. de legit. agn. Tut. tolli potest. Hunn. ad Treutl. 2. 12. 8. lit. a. Porcellin. de invent. c. 1. n. 14. Montec. de invent. membr. 1. n. 30. Grass. 2. sent. §. Inventarium. q. 2. n. 2.* Sic in Galliis huic beneficio multis modis derogatum esse, Imò planè exolevisse refert & testatur *Giphan. ad l. ult. C. de jur. delib. C. I. A. d. 29. ff. 2. thes. 2.* Et in foro Saxonico, quæ sit huius beneficij conditio, supra *membr. 1. pag. 1. §. 1.* dixi.

§. 14. Verum etiam à Testatore prohiberi & remitti potest. Ubi tamen arbitror rectè *Bachov. ad Tr. supr. all. loc.* animadvertisse, quod à Dd. malè plures hæ & diversæ quæstiones, nempe, An heres inventarium conficere à Testatore prohiberi possit? hoc est, ne heres utatur inventarij confecti beneficio, sed perindè ac si purè hereditatem adiisset, creditoribus & legatariis teneatur. Et an heredi à testatore inventarij confectio in præjudiciũ creditorum hereditariorum & legatariorum remitti possit? hoc est, an Testator testamento cavere possit, ne heres inventarium conficiat & tamen creditoribus hereditariis & legatariis ultra vires hereditatis teneatur? confundantur. Illam enim quod attinet, puto distinguendum: utrum confectio inventarij tantùm simpliciter heredi inhibita sit, an verò sub conditione, scilicet *si inventarium non fecerit, sed fiduciam sufficientium bonorũ relictorũ habuerit, & in casum contrarium pœna privationis, vel substitutio fideicommissoria adjecta fuerit.* Ut priori quidem casu inhibitio non valeat, per rationem hanc, quod beneficium hoc inventarij sit legis, favore heredis introductum, cui testator, quo minus heres eo utatur, dispo-

128.
dispositione tali, obicem ponere non potest. *l. 55. ff. de legat. 1. Charond. 9. resp. 70. ff. Faber. 6. Cod. 11. defn. 43.* Secus verò casu posteriori, siquidem unusquisque habens Testamenti factionem, etiam licentiam habet secundum votum suum, bona sua cui velit, relinquere, heredique legem (cui parere necesse habet) ponere. *l. 1. C. de SS. Eccles. Covarruv. interpret. Testam. c. 1. num. 1. Peregrin. de fideicommiss. art. 11. n. 76. A. Fab. d. l. Hottom. 5. obs. 21. Barry d. tr. lib. 11. tit. 9. num. 6. C. I. A. d. l. thes. 36. num. 2.*

§. 15. De remissione maior est dubitatio, an nempe in præjudicium creditorum & legatariorum inventarij confectio à testatore heredi remitti possit? Et quidem certum est, testatorem hac remissione, creditoribus hereditariis præjudicare non posse, nec heredem suum (si in hoc Testatori obsecutus fuerit nec inventarium fecerit) securum reddere, quo minus illi solidum, quod sibi debetur, ab eo exigere & consequi possint. *Altorph. ICTi respons. 53. p. 248. & resp. 64. p. 414.* siquidem sub pœna hac, nempe, ne ultra vires hereditatis teneatur, inventarium facere jubetur. *Novell. 1. c. 2. §. 1.* à qua eum testator suâ hâc dispositione liberare non potest. *d. l. 55. ff. de leg. 1.* Ut silens præteream, quod admittenda hâc remittendi licentiâ, heredi præberetur occasio malignandi & fraudandi creditores. *dict. Novell. 1. cap. 2. §. 2. Clarus §. Testamentum. quæst. 77. num. 2. P. Gregor. d. 46. cap. 3. num. 15. Fachin. 6. controvers. 26. Grass. d. §. Testamentum. quæst. 70. Barry. d. l. tit. 9. num. 6.*

§. 16. Sed quid de legatariis dicendum, an in illorum præjudicium Testator heredi inventarij confectioem remittere possit? Discrepant Dd. communior tamen sententia est, quod Testator hoc in casu remittere possit: cum hoc ipso intelligatur legata restrinxisse ad vires hereditatis, in cuius arbitrio cum fuerit, legata aut fideicommissa vel planè nulla relinquere, vel relicta etiam iterum adimere, cur non liceat ei optimo jure in relictorum imminutionem, etiam inventarij confectioem heredi suo remittere. *l. 20. de R. I. Altorph. ICTi d. resp. 64. C. I. A. d. l. th. 36. n. 2.* Atque hæc ita obtinent, ubi de usu inventarij, respectu heredis & legatariorum quæstio movetur. Nam ubi ratione publicæ utilitatis confectio inventarij exigitur. *Videatur supr. memb. 2. p. 1. §. ibi,* remissio hæc invalida esset, & nullius momenti. Sic inventario contrarius est dolus heredis. Exempli gratiâ: Si dolo malo bona quædâ hereditaria omiserit, celaverit, amoverit, suppresserit. *d. l. ult. §. licentia 10. ubi Sichard. Nov. 1. c. 2. §. 1. vers. ita & c. quo de*

D 3

si fue-

si fuerit legitimè convictus, non quidem totum inventarium deficit & corrumpit, sed alterum tantum sive duplum restituere & hereditati computare tenetur. *conferatur Iason d.l. ult. §. 10. Sichard. d.l. ult. §. 2. nu. 9. Fachin. 4. controvers. 37. Grivel. decis. dol. 143. Treutl. 2. 12. 8. lit. f. & ibi Bachovius. Coll. I. A. d. l. thes. 36. num. 1. Carpzov. d. tract. p. 3. quæst. 33. defin. 12.*

§. 17. Effet ut etiam de reliquis contrariis dicerem, & imprimis inquirerem: 1. Utrum hoc beneficio cadat heres, si, antequam inventarium fecit, res hereditarias contrectaverit? qua de quæstione consuli potest *Ant. Fab 6. Cod. 11. defin. 20. Barry d. tr. lib. 11. tit. 8. num. 5.* 2. Item utrum vitietur inventarium, si illud justo tempore non fuit absolutum? quo de agit *Grivel. decis. dol. 143.* 3. An omissio signaturæ crucis, inane reddat inventarium? quod disputat *Porcellin. de invent. C. 1. Hann. ad Treutl. 2. 12. 9. lit. d. Mynsing. ad §. pen. Inst. de her. qual. & diff. Barry d. tr. lib. 11. tit. 8. num. 13.* 4. An hereditatem cum beneficio inventarij adiens, non autem conficiens, purè sit heres, nec hereditatem repudiare possit? Quæ quæstio deciditur ab *A. Fab. 2. err. pragmat. c. 6. Menoch. 4. pres. 101. n. 31. Barry d. tr. lib. 11. tit. 23. n. 2.* Et alia talia plura, quæ omninò accuratam hic mererentur discussionem. Verum, quod neutiquam dissimulo, ipsa bonæ mentis soror, quæ me spatiis circumscribit iniquis, hîc jubet terminalia ponere. Sit itaq; finalis, ut ita dicam, circa inventarium confectum conclusio hæc: Quot utilitates heres percipit ex inventarij confectioe, tot è contra damnorum discrimina incurrit ex eiusdem omissione. *Montic. d. tr. de Inventar. cap. 9. num. 456. Roland. à Valle d. tr. de invent. p. 5. & ult.* Atque hæc, non pro materiæ huius amplitudine & dignitate, sed ingenij mei exiguitate dixisse sufficiat.

DEO Trino, sit laus, honor, & gloria in
sempiterna secula.

Præstan-



Præstantissimo & Literatissimo Dn. Re-
spondenti, disputationis huius auctori.

Quod variis iterum solitus confingere formis
Usibus & patriis exhibiturus erat,
Tyro Syracosij diro, non ritè recordans,
Ense Geometra nobile rupit opus.
Motibus artificem Mars non deterruit ullis,
Sanguine donec humum polluit ipse suo.
Sic nostrum bellona solum populata Larèsque,
Frenatus studiis ponere visa fuit.
At nec ob hanc cœptum, nec si mutabis ob illud,
Vota tibi fiunt omine ducta bono!

Amoris ergò
Dn. Sympatriota accinebat
Guolfg. Jac. Piccartus
Suinf. Eranc.

II.

Publica jam Themidis conscendere pulpita, SCHMIDI,
Difficilèsque paras juris dissolvere nodos:
Heïc animis opus! heïc oculis & acumine mentis!
Ictus ut validos sufferre, objectaque tela
Scitè declinare queas; hem! fortiter in sta,
Pro thesibus igitur pugna, Spartamque tuere:
Olim pro meritis te præmia magna manebunt.
Gratulor ex animo, & precor ut bene cœpta secundet
Numen divinum, & vires conatibus addat.

Sic mente manibùsque applaudo.

Johannes Theobaldus Stein
Rosbacò Wetteravus.

Alsa-

Alsaticam scandis, Frater per amice, cathedram
Primitias cura significare tua.

Laudo; nec immerito: cum sit laudabile thema
Traetandum quod jam suscipis ipse lubens.

Auspiciis Dominus, medium, finemq; secundet
Præfixi studij, quod Deus ipse colit.

Pergito; corde precor, tibi sic Spirabile Numen
Succurret studium continuare tuum.

Sic hominum favor aurescet, sic gratia summi,
Sic patria terra proderis atque tibi.

Fraterni favoris & amoris ergo
adjecit

Hannibal Guilielmus **Schmide**
cogn. Winter. Breth. Franc.

F I N I S.




X 26159'44

WOM







DISPUTATIO JURIDICA

113.

De

1646, 3.

NEFICIO IN-
VENTARII
OD HEREDI,

Desp. XX

Quam

Divinâ favente gratiâ,

PRÆSIDE

Viri Amplissimo, Consultissimo & Excellentissimo,

HANNE REBHAN, U. J. D.

& INST. Juris Imp. PROFESS. P.

Magistro ac Praeceptore meo venerando,

Publico Examini

subjicio

EAS CHRISTIANUS *Schmidts*

cognom. Winter/Breth: Franc.

Addiem 1. Julij

In Auditorio maiori.

ARGENTORATI

primebat FRIDERICUS SPOOR.

M. DC. XLVI.

